

nis suis *Trid. sess. 23. C. 1. de Reform.* ait: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre:* ergo Parochi officio suo non satisfaciunt, si illis diebus, quibus subditi tenentur audire Missam, legant quidem Missam, eam tamen pro accepto stipendio alteri applicent. Tridentinum enim non ait, Curatos teneri *coram illis* sed *pro illis* sacrificium offerre, hoc est applicare, et quidem non tantum fructum generalem, quia hic debetur a quolibet Sacerdote etiam non Curato toti Ecclesiae: ergo. *Confirmatur* haec sententia (quam *Reiffenst.* in L. 3. Decr. t. 41. n. 22. ob repetitas declarationes Cardinalium vocat plane certam contra *Laym.* et alias) a *Bened. XIV.* in Commentario de Sacrif. Missae Sect. 2. §. 56. ubi de hac applicatione diserte ait: *In qua quaestione S. Congregationis semper ea fuit sententia, eum, qui curam animarum habet, teneri Missam applicare populo omnibus Dominicis, et Festis diebus ex praecepto, sive Parochus saecularis sit sive Regularis, sive amovibilis sive non (nam et qui amovibilis est, animarum curam habet), sive congruam habeat sive non; illudque dumtaxat S. Congregatio concedit Parocho, si pauper sit, ut etiam die festo applicare possit Missam ei, qui sibi eleemosynam dederit, dummodo celebret in Parochia, ne populus Missa careat, et alio die per hebdomadam Missam celebret et populo applicet loco ejus, quam applicare debuerat Festo illo die, cum eleemosynam accepit.* Idem Pontifex in litteris Apostolicis: *Cum inter,* T. I. Bull. ejusd. pag. 366. ad cunctos locorum Ordinarios per Italiam constitutos, datis Romae 19. Aug. 1744. contrarias applicationes verborum Tridentini vocat *inanes et frivolas interpretationes.* In eod. Comment. cit. ad quaestionem, an ii Curati, qui pingues habent redditus, teneantur singulis diebus Missam applicare pro parochianis, respondet: *Censemus declarare, Nobis abunde satisfactum fore... dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missae pro populo celebrant atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de praecepto.* Ibid. §. 68. resolvit, *eum qui habet onus Missae quotidianaे, teneri unam dumtaxat applicare in festo Nativitatis Jesu Christi, nisi forte institutor disserte jusserrit, tres Missas sibi eo die applicari.*

440. III. Si permittant rubricae, sub veniali legenda est talis Missa, qualis petitur, v. g. de *Requiem*: quia ob orationes speciales plus prodest defunctis. Si per rubricas non sit licitum legere talem Missam, qualis petitur, legenda est a rubricis praescripta, per quam obtinetur omnis indulgentia, quae obtinetur per Missam de *Requiem* in altari privilegiato, ut declaravit *Alex. VII.* 5. Aug. 1662. et *Clem. IX.* 23. Sept. 1669; imo *S. C. Indulg.* ad dubium propositum: Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris (et consequenter dicere missam de *Requiem*) diebus non impeditis, ut indulgentiam privileii consequatur? respondit *negative.* 11. April 1840. Dixi *sub veniali;* quia alias non implet quoad modum intentionem petentis, cum tamen supponatur posse sic implere: quia tamen satisfacit quoad substantialiam aliam legendi, quae tamen substantialiter eadem est, hinc graviter non peccat.

441. IV. Si quis accipiat stipendium, ut celebret in certo loco (v. g. ad statuam miraculosam, vel in sacello, ut populus habeat Missam) vel certo tempore, v. g. die sabbati ad honorem B. V. M., ita ut locus et tempus per se intendantur, non potest retineri stipendium, nisi Missa legatur tempore et loco praescripto, quia dans stipendium alias censetur esse graviter invitus, nec velle aliter a se abdicare dominum. *Jansen.* P. 2. cas. 93. n. 23. Secus, si tempus et locus primario et per se non intendan-

tur. *Ibid. n. 29.* cum *Pign.* t. 9. Cons. 80. ait: *Si plures Missae celebrentur in altari, ubi est Corpus alicujus Sancti, ita ut Missae ibidem constitutae difficulter legi possint, licet eas legere in ara vicina; quia idem est fructus Sacrificii et cultus Sancti, qui est finis fundationis, nec fit mutatione fundationis aut intentionis, sed interpretatio; imo eleemosyna sub tacita conditione acceptari censetur, si Missae in loco petito commode legi possint.*

442. V. Qui ex Beneficio obligatus est ad quotidie, vel saepius per hebdomadam celebrandum, impeditur autem morbo vel alia de causa non voluntaria, non tenetur per alium officio satisfacere, vel missas neglectas postea compensare, si impedimentum brevi, v. g. una, alterave hebdomada, aut uno mense, ut putat *Lugo*, duraret. *Ratio* est prudenter presumpta fundatorum voluntas, eo quod domini temporales ob brevem infirmitatem non soleant quidquam detrahere de mercede famulorum. Secus, si diutius duraret impedimentum. *Laym.* L. 5. T. 5. C. 3. n. 7., ubi tamen pro regula addit: *Arbitror, imprimis spectandam esse cujusque Ecclesiae constitutionem vel consuetudinem: nam explicare modum ac rationem satisfaciendi fundatorum voluntati, ad Praelatum Ecclesiae pertinet.*

CASUS III. De abruptione et interruptione Missae.

Henricus celebrans, dum canit præfationem, advertit tumultum populi: mox sacristanus accurrit, monetque Henricum, quod Cain miles Abelem studiosum in templo lethaliter vulnerarit. Henricus nihilominus pergit in sacrificio: post consecrationem denuo monetur, ut absolvat vulneratum, quem e templo in vicinam domum deportarant.

443. Q. I. An liceat abrumpere Missam jam inchoatam, et an *Henricus* debuerit abrumpere Missam, quando sub præfatione audivit, lethali in templo, in quo ipse celebrabat, Abelem esse vulneratum?

Ante R. *Adverte.* Missa dicitur abrumpi, quando celebrans plane cessat ab inchoata jam Missa: interrupti vero dicitur, quando interponit aliam actionem ad Missam non pertinentem, et postea compleat Missam inchoatam. Jam

R. Ad *primum.* Abrumpere Missam cooptam *sine causa* est peccatum mortale, quia est gravis irreverentia. *Prob. ex c. nullus 57. de Consecrat.* dist. 1. Causae abrumpendi licite sunt: 1. *Si Ecclesia violetur ante Canonem* (polluitur autem Ecclesia 5. modis juxta dicta P. 1. n. 468.), dimittatur h. e. abrumpatur Missa; si post Canonem non dimittatur. 2. *Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.* Ita *Missale de defect.* circa Miss. occur. §. 8. n. 2 — 3. *Ibid. n. 3. Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit aut moriatur, prætermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecratio id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Plura *ibid.* 4. Affirmat quidem *Laym.* I. c. C. 7. n. 2. cum *Azor.*, *Henriq.* et aliis, si Episcopus, Dux, vel processio populi adveniat, quos integrum Missam audire deceat, fas esse hoc casu (ex supposito, quod non adsit aliis Sacerdos celebraturus). Missam a capite inchoare, si oblato nondum facta fuerit. *Ilsung.* tamen cum aliis hic n. 108. dicit expedire, ut nihil repetatur; eo quod ipsa inconvenientia repetitionis satis excusat ab auditione partis ante offertorium; post offertorium enim absque dubio praestat pergere. 5. Si excommunicatus non toleratus Missae

interesse praesumat et expelli nequeat, dummodo Missae canon needum coepitus sit. *Laym.* l. c. Praeterea vide dicta supra num. 346.

Ex his patet R. ad secundum, quod Henricus percepta publica violatione templi debuerit abrumpere Missam.

444. Q. II. An et quando liceat interrumpere Missam? R. Licet in sequentibus casibus: 1. quidem ex nota praxi licet interponere Ordinationem, et concessionem; et haec interruptio fit ante offertorium. 2. Licet interrumpere etiam post consecrationem ad dandam moribundo absolutionem etiam extra Ecclesiam, de quo casu citat *Laym. Zambranum* ita disserentem: *Potest Sacerdos Missam inchoatam etiam post consecrationem relinquere, servante h. e. custodiente interim aliquo sacram Eucharistiam* (vel ut ait *Jansen.* P. 2. cas. 94. n. 7. interim sacrae species sunt reponendae intra Sacrarium) *et secum deferat aliquam hostiam consecratam et Extremam Unctionem ad infirmum, et auditam ejus confessionem, et data Eucharistia et Extrema Unctione.... revertatur ad perficiendum Sacramentum.* Addit *La Croix* l. 6. P. 2. n. 248.: Ante consecrationem potest tantisper relinqui Missa, ut ministretur Viaticum vel Extrema Unctio, quamvis moribundus receperit alia Sacraenta, puta, si jam sit absolutus a peccatis: idem fieri potest post consecrationem, si moribundus sit in templo, aut si sit in vicinia, saltem si Sacerdos adhuc indutus paramentis eo accedat. Similiter ait *Zambranus*, et *Henrig.*, quod sacrificantem ab altari recedere oporteat ad infantem morti vicinum baptizandum in Ecclesia. Dixi, *ante consecrationem*: juxta *Laym.* enim l. c. si Sacramentum infirmo ab Ecclesia remotiore ministrandum non sit tantae necessitatis, v. g. si Eucharistia per modum Viatici ministranda sit ei, qui jam ante confessus fuerat, tunc non decet, sacrificium post canonem coemptum exutis sacris vestibus derelinquere; secus si non sit confessus, ut dictum est; quia necessitas in tali casu excusat ab omni irreverentia. Ex his patet, quod Henricus post consecrationem ad moribundum absolvendum potuerit ac debuerit interrumpere sacrificium.

445. Pro resolvendis casibus de loco sacrificii (praeter casus n. 403. exceptos) causae, ob quas celebrare licet in loco non sacro super altare tamen portatile, sunt sequentes: 1. *Necessitas*, v. g. si Ecclesia sit diruta vel combusta, ut patet ex c. *concedimus* 30. Consecrat. Dist. 1. 2. Item si in solemnissimo festo templum non capiat populum, potest erigi altare ante templum. *Schmalzgrub.* l. 3. tit. 40. n. 8. Si tamen hoc praevideat Parochus, tenetur, si possit, petere ab Ordinario facultatem celebrandi extra Ecclesiam; quia haec facultas non censetur data nisi pro casu improviso.

446. Q. I. An liceat hoc tempore passim celebrare in mari sine Apostolico indulto juxta n. 403? Respondet *Bened. XIV.* Sect. 2. de Sacrif. Miss. §. 51., Apostolico opus esse privilegio, neque satis esse privilegium altaris mobilis, quo continetur clausula *in loco honesto ac tuto*, quae mari non convenit, adeoque peculiare privilegium oportere impetrari a Pontifice; addit ibid. per Sedis Apostolicae, quae nunc invaluit, proxim sublatam esse disputationem. Porro ait, privilegium non dari nisi sub his conditionibus: 1. ut tutum sit navigium ac longe absit a littore, tranquillumque sit mare. 2. ut celebranti adsit etiam alter vel Sacerdos vel Diaconus, qui, si quis cooriret motus, quo periculum esset, ne calix everteretur, possit manu tenere calicem.

447. Q. II. An vi decreti Clementis XI, *Nonnulli Episcopi* (quo statuitur, quod nec ipsis Episcopis liceat extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in propria Dioecesi, erigere altare, ibique Missam celebrare sive celebrari facere) nequidem Episcopus dispensare possit, ut

legatur Sacrum in privatis aedibus in altari portatili pro solatio infirmi? R. Probabiliter id potest Episcopus, tum quia decretum non loquitur de casu necessitatis aut infirmitatis, tum quia post emanatum decretum ita habet consuetudo et praxis in nostris partibus. *Jansen.* P. 2. cas. 94. n. 9.

448. Q. III. An sit discrimen inter pollutionem et execrationem Ecclesiae? R. cum *Tournely* in *Praelect. Theol.* Tom. 2. de Euch. t. 14. *Affirmative*: nam polluta Ecclesia etiam polluantur altaria ibi existentia, neque potest pollui altare, quin polluatur Ecclesia, in qua altare pollutum existit: at vero execrationem Ecclesiae, combustis aut destructis ejus parietibus, non sequitur execratio altarium, quae illaesa manent, sicut nec altari per fractionem execrato Ecclesia execratur. De violatione templi vide P. I. n. 476. et seq.

449. Q. IV. Quandonam altare censeatur suam consecrationem amittere? R. Altare tum fixum tum portatile amittit suam consecrationem per enormem seu notabilem fractionem, qualis censetur, cum in nulla parte altaris contracti calix cum hostia secure ac decenter judicio viri prudentis reponi possit, ut explicat *Tourn.* l. c. Altare fixum etiam amittit suam consecrationem, si a loco suo sine sua basi fuerit semotum. *Confirm.* utrumque in c. *quod in dubiis* 3. L. 3. Decret. tit. 40. de consecr. Eccles. Vestes sacrae censentur execratae, si ita fuerint dilaceratae, ut ad usum, ad quem primo ordinatae fuerant, ineptae reddantur, non vero si attritae reficiantur, vel nova pars assuatur. Partes avulsas a re consecrata non licet adhibere ad privatos laicorum usus. Calix execratur per confractationem, imo si foramen exiguum in fundo cupuae acceperit. Solet calix post novam inaurationem passim denuo consecrari, vel saltem ablui aqua benedicta.

450. Q. V. Quid faciendum, ut in Ecclesia violata iterum liceat celebrare? R. Cum in Ecclesia execrata sive polluta sacrificare, sepelire et verbum divinum facere, ob gravem prohibitionem Ecclesiae, grave sit peccatum, prius reconcilianda est illa juxta formam in *Rituali praescriptam*, et quidem, si fuerit consecrata, ab Episcopo reconciliari debet, sicut de jure solius Episcopi est consecrare Ecclesias. Vide c. *proposuisti* 4. L. 3. Decret. tit. 40. ubi de violata Ecclesia dicitur: *Manente Ecclesia et altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino et cinere benedictam.* Ibid. c. *aqua* 9. prohibetur, ne fiat talis reconciliatio per simplices Sacerdotes. Affirmat tamen *Jansen* l. c. n. 15. quod Abbates, et Superiores Regulares, etsi non possint consecrare, possint tamen vi privilegi a *Leone X.* Fratribus Minoribus concessi *solemni benedictione benedicere ejusdem ordinis Ecclesias, coemeteria, capitula et oratoria.* Vi ejusdem privilegii possunt iidem Superiores, etiam aqua per eos benedicta, praesertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non possunt, Ecclesias pollutas reconciliare (dieta continet viginti milliaria Italica, seu 4. vel 5. Germanica): vide etiam *Compend. Privil. Soc. Jesu.* V. *Ecclesia* §. 2. Paulus III. in Bulla: *Licet debitum, concessit Missionariis in locis remotissimis degentibus, ut calices, altaria, coemeteria, (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus inibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare possint.* Benedictio Ecclesiae differt a consecratione per hoc, quod non fiat per inunctionem chrismatis, sicut consecratio, sed per aspersionem aquae lustralis et certas preces. Benedictionem Ecclesiae, coemeterii, paramentorum delegare potest Episcopus etiam simplici Sacerdoti, non vero consecrationem, quia est actus ordinis Episcopalis, unde solus Summus Pontifex simplici Sacerdoti eam facultatem potest concedere. Denique si polluitur Ecclesia, quae prius non fuit solemniter consecrata, sed solum benedicta, vel auctoritate Episcopi ad cultum divinum

non per consecrationem deputata, tunc potest a quovis Sacerdote per aspersionem solius aquae lustralis ordinariae reconciliari (addit Jansen. ex Leurenio) etiam non petita ab Episcopo licentia, puta, si facile adiri non possit. Vide c. fin. L. 3. Decr. tit. 40. de consecr.

451. Q. VI. An post. *Trid.* et *Decret.* Clem. VIII. Regularibus adhuc liceat vi suorum privilegiorum erigere privata oratoria et capellas domesticas in monasteriis ac cellis infirmorum, in villis ubi Religiosi resident? R. *Affirmative;* quia Tridentinum solum loquitur de domibus privatis seu locis profanis, quo nomine non comprehendi solent domus Religiosorum. Tale privilegium etiam post Trid. concessit Societati Jesu Gregor. XIII. in Bulla: *Decet Romanum Pontificem*, ab anno 1575; vide *Lezana*, *Azör*, *Reiffenst.* L. 3. tit. 41. num. 19. ibid. n. 21. addit, quod in dictis oratoriis, et capellis Monasteriorum aut Collegiorum privatis, si a Superioribus benedicantur et ad cultum divinum dumtaxat deputentur, possint etiam alii Sacerdotes saeculares legere, laici audire Missam atque satisfacere praecepto Ecclesiae, non item in cella privata alicujus Religiosi, eoque oratoria, non vero cellae privatae censeantur esse loca sacra, hoc ipso quod oratoria non cellae a Superiore sint benedictae.

452. De rubricis breviter cum *Busemb.* nosse hic sufficiat: si quis violet rubricam, quae spectat ad essentiam vel quasi essentiam Missae, vel si nullam plane servet, peccat mortaliter, v. g. si quis omittat oblationem hostiae vel calicis, vel infusionem modicae aquae. Nihilominus circa omissionem etiam intra canonem etiam levitatem materiae excusantem a gravi peccato defendunt graves AA. cum *Escobar*, v. g. si quis omittat *Gloria*, *Credo*, vel in Canone nomen alicujus Sancti, vel ea, quae in festis praecipuis interponuntur inter *Communicantes*, vel infra actionem etc. Non licet regulariter aliquid in Missa interponere contra ritum praescriptum, ita ut si quid notabile interponatur, peccetur mortaliter: leve tamen aliquid ex devotione secreto orare, non censet esse mortale *Tamb.*, *Bonac.*, et *Busemb.* Plura de rubrica, ritibus, caeremoniis, ordine et modo legendi Missas passim invenies apud *Gavant.*, *Lohnerum*, praesertim in egregio opere *Bened.* XIV. de Sacrif. Missae, ubi etiam sect. 2. §. 48. vide, quid sentendum sit de *Missa secca* sive nautica, quae fit sine Canone, consecratione et sumptuose. Praestat legere resolutions ejusdem *Bened.* XIV. de Sacrificio Missae ex Sect. III. De Sacrif. Missae.

CASUS IV. De scrupulo Sacerdote.

Hugo Sacerdos scrupulosus mox sub Sacro diu haeret cum variis nutibus capitis, gesticulationibus etc. iterum, iterumque formans intentionem: Volo celebrare Missam: non volo, volas, volare, sed volo, vis, velle. *Mox sub consecratione bis, terque verba repetit, quae putat non sufficienter fuisse prolatæ: subinde ob unam alteramve orationem, ut putat, omis-* sam diu immotus haeret, nescius an ultra debeat pergere.

453. Q. I. Quid primario servandum sit a Sacerdote scrupulo circa celebrationem Missae? R. cum *La Croix* L. 6. p. 2. n. 190. Saepe perpendit gravissima motiva deponendi scrupulos in sacrificio: 1. quod propter scrupulos nec devotius, nec attentius legit Missam, sed impedit magis tum devotionem, tum attentionem; 2. quod vel haerendo, vel signa scrupulorum manifestando inhonoret hanc divinissimam actionem, quam ponit non tantum nomine, sed in persona Christi; 3. quod pariat apertum scandalum populo, imo etiam ejus devotionem turbet etc. 4. Proponat sibi alios Sacerdotes pios ac doctos, quanta cum auctoritate ac devotione soleant celebrare etc.

454. Q. II. Quid observandum sit Hugoni laboranti circa intentionem? R. Assuescat ante Missam recitare: *Ego volo celebrare Missam etc.* postmodum in Missa non cogitet deliberate de renovanda intentione, et nequidem interne dicat: *Ego volo celebrare*, sed certus sit, hoc ipso quod timeat, ne non habeat sufficientem intentionem, se habere sufficientissimam, ut ait *Suar.* et *Gobat.* t. 3. n. 787. Non nitatur proprio judicio, sed communis sententiae doctorum ac piorum virorum, *Pasqual.*, *Gobat*, *Bosco* et plurimorum, scil. vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti, et aliquius conscientiae desit sufficiens intentio saltem virtualis, directa et exercita. Vide dicta n. 60. Credat viris doctis *Henrig.*, *Regin.*, *Tambur.*, quod intentio non revocetur per distractiones breves, multo minus per involuntarias anxietates etc. Vide supra n. 28.

455. Q. III. Quid observandum Hugoni anxi de verbis consecrationis perperam prolatis? R. 1. Certus sit, quod *nimia* sollicitudo recte proferendi formam, causa sit non proferendi recte. 2. Ideo assuescat verba consecrationis non altius dicere, quam reliqua, quae secrete dicuntur. 3. Si forte ob cantum, vel orationem populi, vel turbationem, se non audierit verba proferentem, non repeatat quidquam; hoc ipso enim quod moverit linguam et organa vocis, ut alias solet mouere homo secrete loquens, imprudenter timet, ne nunc non satis expresserit verba, imo si Sacerdos se ipsum deberet audire, saepe altius sonantibus organis, instrumentis ac vocibus musicorum ad invidiam musicorum deberet clamare. 4. Assuescat verba pronunciare immote et continuante, absque ullo nutu capit, sine timore, sine vi halando super hostiam vel in calicem: haec enim irreverentiam sapiunt in ipso etiam colloquio cum hominibus. 5. Meminerit ex dictis num. 24. 25. 26. 31. 35. 36. etc. quod mutilatio raro invalidet Sacramentum.

456. Q. IV. Quid sit agendum Hugoni anxi de defectibus in Missa commissis? R. Servet regulam *P. Gobat* in Exper. t. 3. n. 777. quod defectus, qui non sunt circa substantiam Missae, non sint supplendi, adeoque si commissio defectu jam longe progressus sit, nihil supplendo audacter perget, etiamsi actio vel oratio timeatur omissa in canone, tum quia suppletio vix fieret sine nota, tum quia inverteretur ordo Missae. Ita *La Croix* l. c. num. 531. cum. s. Th. ubi addit: Si omisisti *Gloria* vel *Credo*, et aliquantulum es progressus, non est repetendum. Plura vide ibidem. Denique in omnibus animose sequatur monita Confessarii.

ARTICULUS III. De obligatione audiendi Missam.

§. I. Principia practica de auditione Missae.

457. *Principium 1. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur singulis diebus dominicis ac festis audire Missam, et quidem integrum.* De hoc praecepto c. *Missas* 64. de consecrat. Dist. 1. desumpto ex C. Agathensi ab anno 506. ita habetur: *Missas die dominico saecularibus audire speciali ordine* (alii legunt ordinatione) *praecipimus*; ita ut ante benedictionem *Sacerdotis egredi populus non praesumat*; qui, si fecerint, ab *Episcopo* publice confundantur. *Tournely* l. c. de Euch. Art. 15. ait, fideles non tantum ex praecepto ecclesiastico teneri Sacrificio Missae interesse, sed etiam ex jure naturali et divino; hoc sensu, 1. *jure naturali*: quia dictante natura Sacrificium Deo debemus tanquam supremo domino rerum omnium et summo benefactori nostro: inde est, quod a mundi primordiis Sacrificium Deo fuerit oblatum. Cum igitur in Religione Christiana post Sacrificium crucis aliud non sit Sacrificium proprie dictum praeter Missae Sacrificium,